

*Dies Pantbaleonis finem dat mei laboris
Natalis domini M C quatuor tria X vno
Mathias de Chotzna Rector ecclesie in Ruchowano
Habet idem graphare septimo sui exilij anno
In Axpach domo quam carthusiensis inhabitat homo
Assumptae virginis in honorem hic degit mundi fugitans honorem.*

Non satis adparet, an a *Turcarum*, an ab *Huffitarum* facie profugus, an hospitatus tantum, an Monachum indutus fuerit.

II. fol. 133. succedit Eiusdem *Apologium*, ut in calce vocatur, ad *Wilhelmum S. Theodorici Abbatem*, quod omiffa *Praefatiuncula* incipit: *Vsque modo si qua me scriptitare iussistis &c.* et legitur in Edit. *Maur. Paris. 1690. T. II. col. 525.*

III. fol. 145. finem facit *Συλλογη Epistolarum* Eiusdem et Aliorum numero CXIV. In his Responsum *Hildegardis* ad *Bernardi* Epistolam, Epistola etiam *Abbatis de Eberbach* cum hujus Virginis Responso, quae, cum in Codice praeferat: *Frater B. Abbas, facile Bernardo* tribui posset ab iis, qui *Hildegardis Epistolas Colon. 1566. 4.* editas non consuluerunt, ubi p. 78. disertè *Eberbacensi E.* inscribitur hoc initio: *Magnificamus et glorificamus Christum pro uobis &c.* Praeterea fol. nobis 196. immixtus est Epistolis Sermo sic incipiens: *Mediator Dei et hominum christus ihesus qua conuenientia et necessitate in reconciliatione humani generis VII. sancti spiritus donis uti voluerit qualiter possumus consideremus &c.* quem apud *Bernardum* non reperio, quamvis non

uno loco hoc Thema obiter attingat.

Posticae Codicis Thecae adfixa est Membrana, qua anno 1391. *an sand Cholmans Abemnde Agnes Henrici de Durrenpach Meysaviensum* Scribae Vidua Bona sibi a Marito relicta testatur se vendidisse *Johanni* tunc Priori et Conventui FF. *Carthusiensium in Axpach.*

CCCCXXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3076 XII. Folior. 143. f. per duas columnas scriptus a duobus elegantia certantibus, minio distinctus, et olim *Κτημα* Abbatiae *Montis Pomarii, Pomerii, Baumgartenbergae* in super. *Austria* Ord. *Cist.* est *Pars I. Sermonum Bernardi in Cantica Canticorum*, qui in titulo jam *Sandus* compellatur, unde Codicem post annum 1174. scriptum fuisse oportet. Sermones hic comprehensi sunt L. qui usque ad XXIV. pari passu cum edit. *Maur. Paris. 1690. T. IV. col. 1346.* ambulant. Sermo autem XXIV. bis, ut ait *Mabillonius* in *not.* a *Bernardo* pronunciatus bis etiam in Codice nostro positus est, diverso solum exordio et epilogo, quorum utrumque Editor in *not.* subiecit. Ab hinc igitur divergit *Sermonum*

Rrr 2 nume-

numeratio ita, ut Sermo in edit. XXV. fit nobis XXVI. atque ita deinceps, ut in pluribus *Mff.* a *Mabillonio* *ibid.* citatis reperitur.

Ad calcem nostri minuto sed *συγγεγραφοῦ* elegantique charactere legas: *Ymnus Bernhardi clarav. quem fecit rogatu domni Sigebardi abbatis in wihenstefen media XLma canendus. Sigebardus in serie Abbatum Monasterii Weichenstephanensis O. S. B. prope Frisingam nullus comparet. Est tamen Sigemarum inter annos 1138 — 47. quem T. IX. Monument. Boicor. Traditiones plurimae loquuntur, quique in comitatu Conradi Regis, aut Ottonis Ep. Frisingens. facile*

Francofurti aut Spirae amicitiam cum Bernhardo contrahere potuit. Itaque Librarium in nomine lapsum puto. Quid vero jam Mabillonio faciemus T. V. edit. suprac. col. 891. Metrica omnia a Bernhardo abjudicanti? Nimium fidenter dicemus pronunciaffe: Cistercienses nihil admittebant, quod metricis legibus coerceretur; nec persuadebimus nobis, Carolum de Visch Priorem Dunensem Ordinis sui usus adeo ignorasse, ut in Biblioth. Cisterc. p. 45. non unum modo Rhythmum sub Bernhardi nomine vulgaret. His igitur et sequens a me repertus accedat:

Amore sensus erige

Ad Te, largitor veniae!

Ut fias clemens cordibus

Purgatis inde sordibus.

Benigne multum Domine!

Tu lapsum scis in homine.

Infirma est materia;

Versamur in miseria.

Causa Tibi sat agnita,

Nulla mens est incognita.

Aufer a nobis omnia

Fallentis mundi gaudia.

Dives pauper effectus es,

Pro nobis crucifixus es,

Lavans ex tuo latere

Nos munda a vita vetere.

Externi huc advenimus,

In exilio gemimus.

Tu portus es, et patria,

Duc nos ad vitae atria.

Mundum cum pompa spernere

Da nobis, in Te vivere,

Remissio et venia!

Captare fac coelestia.

Hoc ut possimus, Domine!

Praesta in Tuo nomine,

Sine quo labor deficit,

Qui nihil digni efficit. Amen.

CCCCXXXI.

R. 3077 Codex membraneus lat. Folior. 165. ejusdem rationis cum praecedente, cujus Pars II. est, reliquos omnes in *Cantica Sermones* ordine, ut in *Editis*, complectitur, uno tamen plures, atque adeo LXXXVII. censens ob causam in

superiore Codice memoratam. Exemplar totum eo sincerius, quo vicinius Autoris beati temporibus.

II. fol. 102. Incipiunt alij quidam Sermones eiusdem. Nolim quidem vadem praestare de omnibus, indubitatos tamen praetereo. Fol. 112. p. 2. occurrit *Tractatus beati Bernhardi super symbolum apostolo-*